



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 8. An qui habuit voluntariam pollutionem, possit præmissa
confeßione, eodem die communicare?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

QVÆSTIO VIII.

An, qui habuit voluntariam pollutionem, possit, præmissa peccati confessione, eodem die communicare?

§. I.

Probabilior sententia ab autoritate suadetur.

Patrem affirmativam tunc gravissimi Doctores, quo citatos sequitur P. Mascarenhas tom. 1. de Sacram. tract. 4. cap. 7. fol. 239. dicens:

* Ita tenet Sylvest. verb. Eucharist. 3. §. 10. num. 12. Navarrus retractans se in ultima editione in Manual. cap. 21. n. 51. & cum multis Joannes Sanchez in selectis, disp. 23. n. 30. & 31. Item Hurtado, Azor, Suarez, Layman, &c. * Quibus addit D. Thomam 3. p. quæst. 80. art. 7. & alios, quos suppresso nomine refert M. Serra, ibidem fol. mihi 457. quorum sententiam probabilem ipse existimat. * Si pollutio, inquit, sit peccatum mortale, quod non est per legitimam penitentiam deletum, à sumptione Eucharistiae impeditur ex necessitate præcepti, & sub ratione peccati mortalis; si vero reatus culpæ mortalis esset à pollutione ablatus per contritionem, & confessionem, non hoc modo impeditur, sed solum eo modo, quo impedit pollutio, quæ est sine peccato, vel cum solo peccato veniali, ut colligitur ex solutione quarti argumenti: de qua pollutione dicit D. Thomas non impedire ex necessitate.

Quod quidam intelligunt sub nullius peccati, etiam venialis reatu impedire, cum necesse sit, peccatum veniale vitare, & nunquam liceat illud committere. Unde de conjugatis dicit sanctus Doctor hic ad secundum cum D. Gregorio, eos, qui paulo ante communionem conjugalibus vacaverint amplexibus, suo iudicio relinquendos esse, ut scilicet, si velint, ad communionem accedant: quia coitus conjugalium solum impedit secundum congruentiam, & non secundum necessitatem. Ex quo aperte colligitur, non impedire ex necessitate, idem esse, ac sub nullius peccati, etiam venialis reatu impedire, &c. Hæc intelligentia, & doctrina mihi probabilis videtur, sed probabilior, & conformior esse D. Thomæ iudicio, impedire sub peccato veniali, quæ præsertim inter Thomistas, communis est. * Hactenus M. Serra,

2. Sed, me iudice, aperte fallitur, dum opinionem, quam probabilior esse putat dicit, esse conformiorem D. Thomæ; nam loco ab ipso citato, nempe 3. p. quæst. 80. art. 7. D. Thomas expressè asserit, confessionem seminis proventientem absque peccato lethali, non impedire ex necessitate, sed ex congruitate. Quibus non solum peccatum mortale, sed etiam veniale excludere, constat ex ratione, quæ utitur: * Ex quadam verò (inquit) congruentia impedit quantum ad duo, scilicet quia in illa reperitur quadam fœditas corporalis, &c. & oritur evagatio mentis. * Et ob hanc causam, in responsione ad secundum, asserit, impedire communionem ex congruentia coitus conjugalem, quando est sine peccato, * scilicet, propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. * Et paulo post: * Sed quia hoc, secundum congruentiam, & non secundum necessitatem,

O o 3

est

fictio enim per accidens se habet, & commodum solum habetur ex Sacramento Eucharistiae validè suscepto, quod pluries repetitum majorem gratiam causat, recedente fictione: sicut qui pluries Sacramentum penitentiae fictè suscepisset, majorem potest gratiam, recedente fictione, recipere, & eo majorem, quo pluries validè cum fictione, seu cum obice ad infusionem gratiæ, confessus fuisset. Imò & de illo etiam verificaretur, si fictio fuisset graviter peccaminosa, quod eo sanctior evaderet, quo plura sacrilegia fictè confitendo commisisset. Et tamen in hoc concedendo, nullum datur absurdum in opinione communi Thomistarum, eo quod peccatum fictionis per accidens se habeat, & fructus major non ex peccato, sed ex Sacramento sæpius iterato proveniat, & ut ait cum Scoto, M. Prado supra num. 27. de Baptismo fictè suscepto loquens: * Potius habet detrimentum ex fictione, quia tempore, quo suscipitur, & sequenti usque ad penitentiam, qua aufertur fictio, est filius gehennæ, & omnia opera eius mortua sunt. Si autem non fuisset fictus, fuisset tunc, & usque ad lapsum filius Regni, & opera eius viva, quibus meruisset augmentum gratiæ, & gloriæ; ideoque id cedit in commendationem penitentiae, & divinæ largitatis, qui tantam vim contulit Baptismo (adde, & Eucharistiæ) ut vim habeat operandi ablato obice, ac si tunc conferretur. Et ita omnino est asserendum. * Hæc Prado.

17. Sicut igitur, per se loquendo, melioris conditionis est, qui Baptismum suscepit dignè cum attritione, ut duo: quàm qui indignè suscipit, licet postea, ablata fictione per attritionem, ut quatuor, majorem gratiam virtute Baptismi recipiat, quam antea recepisset dispositus per attritionem, ut duo; & licet per se loquendo melioris est conditionis, qui initio vitæ Baptismum suscepit, quam qui culpabiliter differt usque ad articulum mortis, licet isti asserat remissionem omnimodæ omnium peccatorum totius vitæ, etiam quo ad penam, quem fructum non consequitur, qui multis retro annis baptizatus est; ita similiter in nostro casu dicendum est. Idemque contingeret, absque ullo absurdo, in Sacramento penitentiae valido, si & tamen suscepto. Per se enim loquendo, melioris est conditionis, qui absque fictione dispositus attritione, ut duo, sæpe recipit Sacramentum penitentiae, quàm qui fictè totidem recepisset; licet hic postea, fictione ablata per attritionem, ut quatuor, majorem gratiam, virtute iterati valoris Sacramenti, ex opere operato recipiat, & eo sanctior evadat, quo plura sacrilegia commiserit, & multò, sanctior, si singulis diebus ter, vel quater validè, sed cum fictione Sacramentum penitentiae suscepisset: eo quod totum hoc augmentum per accidens eveniat ex fictione; per se verò ex virtute Sacramenti, quod hac dispositione ut quatuor accedente, juxta illam, gratiæ effectum modo causat, ut docent Theologi supra citati: ergo similiter de Sacramento Eucharistiae fictè suscepto discurre debemus, si consequentiam servare velimus. Dissonantia enim, quoad augmentum gratiæ, reperiri nequit in uno Sacramento magis, quam in alio.

* *

est intelligendum, Gregorius dicit, quod talis est iudicio suo relinquendus. * Igitur D. Thomas (sicut & D. Gregorius) nullam culpam agnoscit in eo, qui cum immunditia corporali, & mentis distractione, in statu gratiae, ad Eucharistiam accedit; alias iudicio suo non esset relinquendus. Atqui praefati solum effectus remanent, quando pollutio cum peccato mortali contingit, ut fatetur D. Thomas ibidem ad quartum, his verbis: * Dicendum, quod licet per contritionem, & confessionem auferatur reatus culpe, non tamen auferitur corporalis immunditia, & distractione mentis ex pollutione consequuta. * Ergo post confessionem, ex congruentia tantum debet a communione abstinere, sicut & post coitum conjugalem. Ergo sicut in hoc casu, ita & in illo, iudicio suo est relinquendus: poterit ergo licite communicare.

3. Propter hanc sententiam, quam probabilem dixit M. Serra, probabiliorum ego puto, cum Mascarenhas supra, & aliis Doctoribus, quos citatos sequitur Leander a Sacram. tom. 2. tract. 7. de Eucharist. disp. 6. quast. 3. Ubi sic ait: * An saltem sit peccatum veniale, accipere Eucharistiam absque aliqua iusta causa, post pollutionem mortalem, etiam confessione praemissa? Affirmant Valentia, Joannes de Cruce, Victoria, Granado, Lugo, &c. sed probabilius respondeo, adhuc non esse veniale peccatum ob rationem ex Tridentino traditam, (nimirum, quia confessio de peccato commisso, auferit omnem indecentiam, ob quam quis a susceptione Eucharistiae impeditur) sic Santes in selectis, disp. 23. n. 30. & apud illum D. Thomas, & Gabriel locis citatis, Azor lib. 10. cap. 30. quast. 14. Navarrus, Paludanus, Sylvester, locis citatis, Egidius quast. 80. art. 7. num. 42. vers. Secundo potest. Fillius tract. 4. num. 224. Lazarus, & Chamberota apud Bonacinam, Hurtado disp. 9. de Eucharist. diffie. 13. in fine. * Sic Leander. Cui consentit Hieronymus Garcia in Sum. tract. 3. diffie. 5. dub. 1. nu. 90. & dub. 2. n. 16. & seq.

4. Eandem sententiam tuetur, cum Valquez, Dicastillo de Sacram. tom. 1. tract. 9. disp. 9. dub. 14. nu. 245. ubi postquam rationes contrariae proposuit, sic ait: * Hae tamen omnes rationes ad summum probant, congruum quidem esse, non vero obligatorium; nam qui iam confessus, & purificatus accedit, iustus, & amicus Dei, nullam facit irreverentiam, accedendo, nec censetur, ad mensam tanti Principis, venire pollutus, &c. Aliquos refert Valquez, expressè docens, nullum esse peccatum, etiam veniale, qui post nocturnam pollutionem cum peccato, vel sine peccato, vel post quodcumque aliud peccatum, accedit ad celebrandum, delecto peccato per confessionem. Eamq; sententiam probabilem putat Bonacina disp. 4. quast. 6. quamvis absolute asserat, esse peccatum veniale celebrare, quoties non adest iusta causa. * Sic Dicastillo, quem sequitur Bernal de Sacram. disput. 43. sect. 1. num. 1. & Bauni tom. 1. tract. 10. quast. 33. fol. 457.

5. Militat etiam pro nostra sententia, unus pro mille, sapientissimus P. Franciscus Suarez tom. 3. in 3. p. quast. 80. disp. 66. sect. 8. Ubi sic scribit: * Dicendum est, per se loquendo, nullum esse peccatum pauld post commissum peccatum mortale, communicare, praemissa confessione debita. Hae est sententia D. Thomae hic art. 7. ad 4. Ubi dicit: solum peccatum mortale durans in anima impedire ex necessitate communionem huius Sacramenti, atque in hunc modum explicat doctrinam in corpore articuli traditam, Clarius dist. 9. in art. 4. quast. 3. ad 2. dicit, consulendum esse ei, qui peccavit mortaliter, ut non statim accedat ad communionem, etiam si confessus sit, nisi magna necessitas urgeat, ubi cum dicit, consulendum esse, pla-

ne sentit, non esse praecceptum, sed consilium. Idem sentit ibi Paludanus, Major, Gabriel, Sylvester, Cajetanus, verb. Communis, Cordubensis, quast. 7. qui in specie loquitur de illo, qui post mortalem pollutionem, vel fornicatum est, vel mortaliter pollutus, idem tandem docuit Navarrus in Sum. cap. 22. articulo 1. Ratione probatur, quia nulla est lex positiva humana, vel divina, quae hanc obligationem imponat generatim de omni peccato, neque specialiter de hoc quo. Deinde ex sola ratione naturalis colligitur, rest, &c. Tandem olim erat consuetudo in Ecclesia quotidie communicandi, & tamen non est verum, neminem eorum, qui quotidie communicant, solum esse aliquando mortaliter peccare, expellente erant, ut multi communicarent eodem die, de peccato mortali. Et ita Augustinus contra Iulianum, nec laudare, nec vituperare eum, qui peccatum communicat, solum ab eo requirit, ut coitus peccati mortalis non gravetur, ut videtur hoc dist. 116. & de Ecclesiast. dogmat. c. 53. & in cap. quidam de sac. dist. 2. &c. Cajetanus, & Adrianus sententiam solum esse consilium, sed etiam semper esse, quod peccatum veniale, non interponere huiusmodi tempus (nempe diem) praecipue si peccatum, quod peccat, carnale fuit, cum quia est nonnulla indecentia, quia semper eiusmodi homo accedit sine convenienti preparatione, ac devotione. Et hoc solum mortaliter loquendo, ita frequentius accidit, ut rō intrinsecā, & ex objecto non est intrinsecā in eiusmodi actu, etiam levis, ex sola brevitate temporis interposita inter peccatum, & communionem. Et ideo si ex ceteris circumstantiis praesentibus, sterneretur, poterit nullum esse peccatum, Sicilem, quem sequitur Card. de Lugo disp. 15. sect. 1. Humana de Eucharist. disput. 9. diffie. 13. Ariaga tom. 7. disp. 4. de Eucharist. sect. 1. num. 3. & seq. & alii.

6. Pro hac etiam sententia novissime pagant Amicus Velasquez Pinto in libro aureo, cui titulus: * Tesoro de los Christianos * pluribus in locis, praecipue lib. 368. ubi probat: * Quae coniugal sine concubitu peccato mortali, est coniugal conjugum reverentia, & santidad. * Et fol. 375. * Delis costumbre (inquit) universal de la Iglesia, y de la de dar tambien la comunión quotidiana a los recién bautizados, se ha fundado en el argumento, que quien está en conciencia de pecado mortal, si le tiene la confesión del, está digna, congrua, y loablemente dispuesta para recibir este divino Sacramento cada día. Y no solo en los tiempos primitivos de la Iglesia, sino en todos los tiempos, y en la Iglesia universal de la Iglesia declara, y manifiesta esto mismo, como enseñan los Concilios, y Pontifices. * Sicilem, cui consentiunt alii apud Diamant. tract. 7. res. 15. de communione quotidiana. Quod etiam Augustinus serm. 88. parum a medio, tom. 10. quod refert D. Thomas 3. p. quast. 83. art. 2. in corp. dicens: * Quotidianus est panis, cur post annum illum non accipere quotidie, quod quotidie tibi prebit. *

7. Ideo Joannes Sanchez in selectis, disput. 24. n. 30. idem expressè tenet, dicens: * Qui in pollutionem, seu coitum incidit, post talis facti conscientiam, non est a communione excludendus, nec peccatum veniale esse, concedant Nugnus, & Octavio via ratione corporalis immunditiae, quibus rationem non credo. Imò quamvis ratione id Concilio Tridentino adversari non videatur, percipietur diffidentia, ait enim sess. 13. cap. 7. illum dignè, & sanctè Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis est sibi conscius, aut sit sit conscius, dignè accedat, le pe-

seper confessionem probando, ergo asserere, delecto jam peccato per confessionem, adhuc fidelem non esse dignum Eucharistia suscipiendâ, quasi suscipiat peccatum veniale sit commissurus, adversari Concilio videtur manifestè, cum sequatur, eum non accedere tunc sanctè, ac dignè cum actionem exerceat, ex mente horum Doctorum, intrinsecè malam, & culpabilem: nec obstat distractio, licet habeatur, cum per poenitentiam, sit causa (à qua ortum habuit) interrupta, & distractio peccatum non erit, dum faciat quis, quantum in se est, ad expellendam illam. * Hæc Santius, quem cum Hurtado, & aliis sequitur Olina 3. p. tract. 4. fol. 30. Nec dissentiet M. Baltanas in *Margarita Confess.* fol. 195. dum ait: Secundum Cajetanum gravius peccat, qui post continuata peccata mortalia, die, quo de ipsis conterritur, & confitetur, communicat, quam qui post pollutionem ipso die communicat. Quod autem de aliis peccatis contritus, & confessus possit eodem die communicare, est communis sententia, quam cum D. Thoma, Navarro, Suarez, & aliis defendit Garcia in *Sum. tr. act. 3. disp. 5. dub. 1. n. 9.*

§. II.

Alia ejusdem sententia fundamenta.

8. Insuper probatur hæc opinio ex communi Doctorum, asserentium, conjugem, post habitam copulam conjugalem, posse absque ulla, etiam levi culpa, nec Sacramenti irreverentia communicare. Quam tenent Angelus, verb. *Eucharistia*, num. 30. Navarrus, Egidius, Hurtado, Joannes Sanctius, Dicastillo, & alii, quos sequitur Leander à Sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 6. q. 4. Quibus addit M. Victoria in *Sum. de Eucharistia*, num. 81. ubi ait: Breviter dico, quod accedere ad Eucharistiam post legitimum concubitum, non est peccatum. * Ex quibus sic conficio argumentum. Confessio Sacramentalis non minus tollit, & extinguit, post copulam illicitam, reatum culpæ mortalis, quam status matrimonii illum impedit: ergo vel in utroque casu potest absque veniali Eucharistia suscipi, vel in nullo: consequentia præmit, quia tam in uno, quam in altero, invenitur hebetudo mentis, seu distractio & indevotio, quæ ex delectatione veneris præhabita naturaliter consequitur. Ut tradit D. Thomas supra 3. p. quæst. 80. art. 7. in corpore. Hic discursus aperte convincit, aut quamcumque effusionem seminis, cum delectatione carnis contingentem, æquè impedire sub veniali communionem intra eandem diem, aut nullam, confessionem præmissâ: ablato enim peccato, reliqui effectus à delectatione præterita dimanantes, ut potè naturales, non magis retrahere possunt, ac si nulla culpa præcessisset. Ergo sicut pollutio involuntaria, & copula conjugal non impediunt, etiam sub veniali, communionem, ut docent Doctores citati, licet effectus naturalis distractionis, & hebetudinis mentis permanent, sic nec copula illicita, post confessionem Sacramentalem.

9. Neque his consequenter dissentire poterit M. Sotus in 4. disp. 12. quæst. 1. art. 7. p. 2. ubi, ni fallor, omnia superius dicta hoc discursu corroborat, sic enim loquitur: * Secundo probatur, quia ex pollutione, sublata culpâ, non remanet, nisi corporalis immunditia, & mentis distractio, hæc autem, ut hic ait D. Thomas, solum ex congruitate & decencia impediunt &c. & confirmatur, quia illæ sordes & mentis

distractio tanta, emergitur ex pollutione licita, scilicet ex conjugali opera, quanta ex adulterio, ergo deleta culpâ, non est cur magis quantum ad necessitatem impediatur secunda, quam prima. * Atqui post copulam conjugalem absque ulla peccato veniali habita, v.g. causa prolis, nulla est culpa, ad Eucharistiam accedere, ut cum D. Thoma. D. Gregorio, D. Bonaventur. Alberto Magno, Paludano, Turrecremata, D. Antonino, Martino de Ledesma Ludovico Lopez, Barth. De Ledesma, & aliis tradit Thom. Sanchez lib. 9. de Matrim. Disp. 13. num. 5. quem innumerus citatis sequitur Doctor Frutos Ayala in Apologia sacra de la comun. freq. §. 8. num. 72. fol. 18. ergo nec post confessionem pollutionis.

10. His, ut dixi, dissentire non poterit M. Sotus, quia doctrina tradite pro conjugatis consentit ubi supra art. 7. prope finem dicens, * quotum pridie quam communicandum est, vel saltem illa nocte irreverentia est, debitum petere, numquam tamen mortalis: imo (attende) forsitan nec venialis, si fiat procreandi causa, nam facere contra consilium, ex genere suo non dicit culpam; Sic M. Sotus, quem eisdem verbis sequitur M. Paulus Blanchis in discept. casuum conf. in l. 1. p. fol. 56. prop. 5. ergo idem prorsus dicendum post pollutionem, sublata culpâ, nec major mora, vel interdictum exigi debet, ut absque ulla culpa, ad Eucharistiam, præmissâ confessione, quis accedat, quam si alterius generis peccatum commisit, & quod magis, Ludovicus Lopez 2. part. cap. 76. fol. 215. licet fateatur, esse irreverentiam aliquam post coitum conjugalem procreandi causâ, ad Eucharistiam accedere, putat tamen, non sufficere ad culpam venialem, dicens: * nec erit venialis, nam facere contra consilium, suo genere non dicit culpam. * Sed non bene irreverentiam appellat, si nulla est culpa.

11. Addunt alii, nec esse contra consilium, præmissâ confessione, communicare post concubitum illicitum, aut pollutionem voluntariam, si quantum in se est, quis fecerit ad reddendam mentem quietem, quia si id non consequatur, distractio non erit voluntaria, ac proinde nec peccatum, sed effectus peccati, qui non impedit (nec sub consilio) Eucharistiam sumere. Ita cum Palacios & Marcilla, tradit Joannes Santius in selectis, ubi infranum. 22. & 26. Potius ego consulerem, ut illo die communicaret, præhabito maximo dolore, & præmissâ confessione, ne gratiâ Sacramenti, & aliis effectibus careat, atque ut quietis, & animi tranquillitatem adipisceretur. Quod tenent Azor & Fillucius &c. & defendit M. Cortadus 2. p. quæst. 348. in fine, si magna devotione dispositus accedat; dummodò non illic post confessionem. Sed plus addit Joannes Sanchez ibidem disp. 23. num. 26. dicens: * nostra tamen sententia, licet non curet distractionem abigere, peccatum veniale non erit communicare, erit tamen sanum consilium quietem procurare, contra quod agit non procurans, & non agit contra consilium communicando, cum adhuc existente illa voluntaria distractione, illi sit melius communicare, quam abstinere. Sic ibi & num. 11. inde petitam, quod licet sit veniale, nolle distractionem illam repellere, accedendo tamen ad Eucharistiam cum tali distractione, non committitur novum peccatum veniale, ac proinde nec de consilio esse non communicare: cum alius detur Consilium de communicando, quoties licet, & absque ulla culpa fieri potest. Sic opinatur Joannes Santius, qui n. 19. pro hac sententia refert P. Vasquez & M.

Curiel, quam probabilem putat Doctor Frutos De Ayala ubi supra, §. 8. n. 78. fol. 38.

12. Cui facit Leand. à Sacram. Tom. 2. Tract. 7. disp. 6. quæst. 5. ubi sic: *dicendum, quod licet consulendum sit conjugatis, ut nocte præcedente communionem à copula abstineant, dato tamen quod non abstinerint, non est consulendum illis, quod non communicent, si alia non adsit causa, quia suscipere Eucharistiam illo die, quo habita est copula, nullum est peccatum (etiam si voluptatis causa) sic Santius, Medina & Marcilla &c. *quod suadet Santius, quia etiam est illis consulendum, ut abstineant à copula, ut vacent orationi, & tamen si non abstinerint, non ideo consulendum, ut orationi non vacent, sed potius oppositum. Ergo similiter, ut ad Eucharistiam accedant.

13. Ex quibus infert Santius num. 40. non fore validum votum emissum ab uxorato abstinenti à communione die habitæ copulæ, nam majus bonum est eo die communicare, quam à communione abstinere. Quia licet abstinere ob reverentiam sit actus virtutis, est tamen impeditus actus perfectioris virtutis. Idemque propter eandem rationem dicendum putat de voto non suscipiendi Eucharistiam, die habitæ copulæ fornicariæ præmissa confessione, & vero dolore, quem sequitur, ut scaten has ubi supra. Tract. 4. cap. 7. fol. 239. & Doctor Frutos de Ayala in Apologia, §. 8. num. 106. fol. 38. quæ sunt valde notanda, & valde probabilia, quia votum debet esse de meliori bono: in illis autem circumstantiis, in quibus nullum est peccatum communicare, majus bonum est, ad Eucharistiam accedere, quam abstinere. Unde semel statuto, licitum esse confessione præmissa, communicare; difficile suaderi poterit, melius esse oppositum, quia inter hæc duo extrema, discrimen & distantia notissima sunt, circumstantiæ verò, quæ extremum ex se minus bonum, vel indifferens, majus bonum Eucharistiæ sumptione constituent, difficile determinantur.

QVÆSTIO IX.

Utrum non baptizatus, baptismo aque, possit validè Ordinari, & sacerdotium recipere?

1. **M**irum videbitur rem adeo inter Catholicos certam, in Disputationem adducere. Nam quod sine baptismo nullum Sacramentum possit valide recipi, videtur definitum ab Eugenio IV. in Concilio Florentino post ultimam sessionem, ubi de Baptismo ait: primum omnium Sacramentorum locum tenet, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficitur Ecclesiæ, & constat etiam ex cap. veniens de presbytero non baptizato, & ex cap. si quis eod. tit. ubi sine baptismo ordinatus percipitur baptizari, & ordinari, ibi: si quis presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Unde videtur certum, non baptizatum incapacem esse Ordinis sacri, alias iterum ordinari non posset, quia Sacramenta, quæ characterem imprimunt, ut baptismus, confirmatio & Ordo, iterari non possunt, ut si de sanctum est. Jam si hoc Sacramentum sine baptismo recipi non potest, idem de alius dicendum erit,

ac proinde non baptizatum, nullius capax est. Hoc indubitabile videtur, & ita cum D. Thoma communi Doctorum ex Concilio Florentino Trident. tradit Henriquez lib. 1. de Sacramentis p. nere cap. 10. num. 4. & in gloss. lit. X.

2. Verum cum baptismus alius aque, alius minis sit, dabitur non in congruè potest, de quo baptismo Patres, & Concilia loquantur, quoad ad reliqua Sacramenta necessario requiritur prædicant. Rem hanc pauciattingerunt, sed disputatam invenio apud M. Corradum 2. p. 7. ubi docet, baptismum fluminis sufficere, alioquin recipiendum Sacramentum Ordinis, veniens sunt: *si sit adultus credens se esse baptizatum, & vivit ut Christianus, hic baptismus fluminis est baptizatus, & moriens, sine peccato mortalibatur; & si ille ordinetur sacerdos, & Episcopus, consecraret, ordinaret, & absolvet. Sicula.

3. Verum hæc sententia sustinenda non est, quia contra communem Theologorum sententiam, & contra textum in cap. veniens, supra citatum, ubi non baptizatum baptismo aque, baptizari, & iterum ordinari præcipitur: tamquam expressa contra Angelicum Præceptorem in 4. dist. 24. ad 3. quæst. ubi docet, illum baptizatum ad valide suscipiendum Ordinem requiri, quod characterem imprimit: baptismum autem fluminis non imprimere, certo certius est, cum rebus sit. *Per characterem baptismalem, efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum. Unde qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum Sacramentum suscipere potest, & character Ordinis, baptismalem characterem præsupponit. *Et infra loquens de non habente characterem baptismi, ait: *Ad secundum dicendum quod talis, si ad sacerdotium promovetur, non est sacerdos, nec conferre potest, nec absolvere in foro penitentiali; unde secundum Caneles debet baptizari iterum, & ordinari. *Quod iterum tradit ad 4. quæstionem dicens: *De necessitate Sacramenti præexigitur, quod ille, qui accedit ad ordines, sit ordinis susceptor, quod competit ei per baptismum, & ideo character baptismi præsupponitur de necessitate Sacramenti, in quod sine eo Sacramentum ordinis prætere non potest. *Ergo juxta D. Thomam certissimum est, baptismum aque, ut potest qui unus characterem imprimit, necessariò prætere debere ad ordines valide suscipiendos. Cui consentiunt omnes Theologi. Vide Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 11. sect. 1. Notio. Ubi rem sine controversia tenet ex cap. si quis ex cap. veniens de presbytero non baptizato, & c. n. 1. sect. 3. §. 8. Responderi ad hæc omnia potest, & c. Nullum Sacramentum posse habere valorem, in quoque effectum in subiecto non habente characterem baptismalem.

4. Adde M. Corradum, sibi ipsi contrarium, & expressè postea docere in 2. part. Respons. quæst. 1. ibi: *Queritur, an ordo sumendus prærequirit aliquem characterem? Respondetur ex D. Thoma quod quilibet ordo præsupponit characterem baptismi de necessitate, cum baptismus sit janua omnium Sacramentorum. *Et iterum infra quæst. 477. explicans, quid sit character, inquit: *est quoddam signum indelebile, quod in anima imprimitur, & est quædam spiritualis potestas, per quam homo efficitur capax ad recipiendum, & c.